

Robertus S.R.E. Cardinalis Bellarminus Eximio Sacrae Theologiae  
Doctori Andreae Duvallio S.D.

Venit ad manus meas responsio, quam scripsisti ad observationes  
quasdam ad te missas ex Urbe; et quoniam auctor observationum illa-  
rum ego sum, par est, ut ipse idem rationem reddam scripti mei. Ego  
igitur iussu SS/mi Dñi Nñi librum tuum recognoscendum suscepi, eo-  
que recognito retuli ad S/tem Suam librum esse valde bonum, doctum,  
perutilem; esse tamen pauca quaedam, quae librum utiliorem redderent,  
si in secunda editione vel mutarentur, vel omitterentur. Itaque ob-  
servatio illa mea, non fuit reprehensio, vel vituperatio, multo minus  
invectiva, quae publicanda esset, ut fieri solet, ab invidis obtrec-  
tatoribus, ad obscurandam gloriam pii scriptoris; sed fuit amica, et  
secreta admonitio, qualem ego ab amicis semper optavi, et opto; fuit  
autem transmissa ad Reverendissimum Nuncium Apostolicum a Summo Pon-  
tifici amantissimo gloriae tuae, ut tibi ostenderetur secreto, et  
privatim, ut non ab aliis admonitus, sed a te ipso excitatus in se-  
cunda editione recognitum librum meliorem, et salutis animarum utilio-  
rem efficeres.

Venio n<sup>nc</sup> ad observationes meas, et responsiones tuas, et sicut e-  
go candide et amice, solius communis boni gratia exponam sententiam  
meam, sic et tu vicissim candido et amico animo, si videbitur, illam  
probabis; sin minus improbabis, et uterque nostrum iudicio S. Sedis  
Apostolicae pacifice acquiescet.

Haec a me scripta sunt, ut initio etiam dixi, non rixandi vel repre-  
hendendi causa, sed fraterna Charitate admonendi, et consulendi et  
Sanctissimo Patri nostro Pontifici maximo obediendi. Ac ut in bonam  
partem omnia accipias rogo, et privatim apud te habeas. Deum vero pre-  
cor, ut te pro Ecclesia sua strenue laborantem diu servet incolumem.

[R. Cardinalis Bellarminus Doctori Duvallio amicus ex animo.]

/ (autre rédaction)

Robertus S.R.E. Cardinalis Bellarminus

Eximio S. Theologiae Doctori Andreae Duallio S.D.

Legi responsionem tuam ad observationes meas; quam postea tradidi Sanctissimo Patri Nostro, ut ipse de ~~tota~~ re tota sit iudex...

(auctarium)

(fin): Video te moleste tulisse admonitionem meam, et ideo captasse undique occasionem carpendi non solum sententiam, sed etiam verba disputationis meae. Sed ego mihi conscius sum optimo animo, *10* ut Summo Pontifici obtemperarem et bono publico prodessem, scripsisse quae scripsi. [ Sed quia pacem cum omnibus habere cupio et praesertim cum viris piis et doctis, qualem te esse arbitror, non amplius deinceps nunquam tibi molestus ero. Vale.] Vale, et me, ut fecisti, amare perge. [Romae die . . .]

---

*15* Archiv. Vatic. Gesuit. 19 fol. 267-270. Brouillon autogr. cette lettre ne fut envoyée qu'en 1618.